



Prot. N. 801/21/I

DECRETUM

PAENITENTIARIA APOSTOLICA, de mandato Sanctissimi Patris Francisci, attentis precibus ab Exc.mo Domino Stephano Russo, Episcopo Emerito Fabrianensi-Mathelicensi, Secretario Generali Conferentiae Episcoporum Italiae nuper allatis, plenariam benigne concedit Indulgentiam, suetis condicionibus (sacramentali Confessione, eucharistica Communionem et orationem ad mentem Summi Pontificis) rite adimpletis, a christifidelibus vere paenitentibus atque caritate compulsis lucrandam, quam etiam animabus fidelium in Purgatorio detentis per modum suffragii applicare possint, si sacrae interfuerint Nationali Peregrinationi v. "Ora viene il Bello" nuncupatae quae, magno cum concursu populi, a die I Iunii usque ad diem XVII Septembris MMXXI peragetur.

Senes, infirmi omnesque qui gravi causa domo exire nequeunt, pariter plenariam consequi poterunt Indulgentiam, concepta detestatione cuiusque peccati et intentione praestandi, ubi primum licuerit, tres consuetas condiciones, si sacrae Peregrinationi se spiritaliter adiunxerint, precibus doloribusque suis vel incommodis propriae vitae misericorditer Deo oblatis.

Quo igitur accessus, ad divinam veniam per Ecclesiae claves consequendam, facilior pro pastoralis caritate evadat, haec Paenitentia enixe rogat ut sacerdotes opportunis facultatibus ad confessiones excipiendas praediti, prompto et generoso animo, celebrationi Paenitentiae pro piis peregrinis sese praebeant.

Praesenti pro hac vice tantum valituro. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae, ex aedibus Paenitentiarum Apostolicarum, die XVIII mensis Maii, anno Dominicae Incarnationis MMXXI.

Maurus Card. Piacezza
MAURUS Card. PIACENZA
Paenitentiarum Maior

Christophorus Nykiel
CHRISTOPHORUS NYKIEL
Regens